

425. CERATUM, Cerotum, Cerelaem, est Emplastrum (415.) mollius, mediae ferè inter Emplastrum & Unguentum spissitatis. Neque enim hodie, ut olim, quaecunque ex Cerâ composita, sive Unguenta, sive Emplastra, Cerata vocamus: unde nec eorundem in Liquidiora & Solidiora divisio locum amplius habet. Quin expediret, universa Ceratorum familia ex officinis eliminata, quaecunque sub hoc titulo prostant, ad mollia potius Emplastra (420. a.) referri; quando & consistentia & compositione satis conveniunt, nec Cera ingrediens constantem inter utrumque genus discrepantiam ponit.

426. MATERIES, DELECTUS, ORDO, DOSIS, QUANTITAS GENERALIS, similia hic, ac in Emplastro (416. ad 419.). A Cera & Oleo quidem nominis (425.) origo est: at neque isthaec adeo constanter hodie huc ingrediuntur, quin saepe, istis etiam omissis, Materiem praebeant reliqua (416. 417.) enumerata. Unde multiplici modo Cerata praescribi solent.

1. Simplicissimum paratur ex Oleo & Cera justa proportione colliquefactis, jugique sub agitatione paullatim frigescente condensatis: quae compositio tam levis artificii est, ut etiam saepius domi aegrorum, absque pharmacopœi ope, curetur.

2. Alias

2. Alias Emplastrum aliquod officinale jubetur Olei idonei aut Balsami liquidi interventu ad consistentiam Cerati molliendum (417. a.). Tum vero nec incongruum est, augendae virtutis ergo admiscere alia, v. g. Pulveres, Resinas, Sapon. &c. Modo pro diversa horum spissitate iusta liquoris oleosi copia ad obtinendam mollitiem adhibeatur.

3. Quin & Unguentum officinale, Cera, Resina, Gummi, Gummi-Resina, Succis Extractisve densis, Sapone, Emplastris officinalibus, aut Pulveribus siccis, admistis, in Cerati consistentiam cogi potest.

4. Tandem & magistralis Cerati compositio quandoque ab integro praestituitur ex materie pro Emplastris usitata (416. a. b.), additis omissisve Cera & Oleo, observato duntaxat ingredientium delectu ac proportione, ut requisita massae ductilitas & molitudo impetretur.

Quodsi tamen Ceratum prostat officinale, praesenti scopo aptum, isto potius, quam nova compositione, utendum suadet regula (41.)

427. PROPORTIO mutua ingredientium sola discrepat; quippe quae talis est, ut Olei unc. j. recipiat Ceræ unc. β. Pulver. drach. j. ij. pro ponderis specifici varietate: aut &, omisso Pulvere, Ceræ drach. v. vj. ad unc. j. Adde tamen

a. Dari & hic aliquam latitudinem; ut consistentia aliàs paullo mollior, aliàs densior fiat, nec Proportio dicta constantissimè semper teneatur: unde

profectum, quod officinalium quaedam, ab aliis Ceratorum ordini adscripta, aliis Unguenta vel Emplastrum audiant.

β. Porro, quae (420. γ. ad λ.) dixi, huc etiam applicari possunt: ita, quemcunque quis elegerit conficiendi Cerati modum (426. 1. 2. 3. 4.), facile sese expediet.

428. SUBSCRIPTIO & SIGNATURA, mutato saltem nomine (425.), eadem est, qualis (421. 422.). Sparadrappa (421. β.) etiam crebrò inde parantur; quum massae his conveniant molliores (420. α.). Dantur & Cerata quandoque in fictili aut vesica, si usui dicantur longiori; ne vehiculo inducta per moram arescant nimis aut deliquescant. Est quoque ob mollitiem facilis eorum extensio, hinc aegris aut adstantibus committi potest.

429. Usus idem, qui Emplastri (423.), & vel hoc etiam frequentior: multoties enim Cerati modò spissitate gaudent, quae nomine Emplastri praescribuntur. Durities ejus & tenacitas, quam Emplastri, minor magis id commendat, ubi virtus altius insinuanda (420. α.), partes molles, sensiles, harumve flexurae, contegendae, aut noxae a densioribus timendae sunt (423.).

430. SPECIMINA sunt.

Ceratum Exsiccans, Obtundens, Antiphlogisticum, ad Ulcera Tibiarum inveterata.

℞. Cerat.

℞. Cerat. Defensiv. caerul. Pharm. Leid.  
unc. iij. vel q. v.

D. ad fētile.

S. Hujus q. f. extensum super linteo adplicetur Ulce-  
ri, prius puro, siccis, aut idoneo Balsamo im-  
butis, carptis tecto. Renovetur quovis die semel.

\*  
Ceratum Molliens, Discutiens, ad Pleuritidem.

℞. Ong. Popul. unc. j.

Empl. Sticht. Parac.

de Sapon. ana dr. v.

Leni calore liquefactis, jugiter dein ad  
refrigerium usque agitatis, immisce  
Camphor. cum tantillo Ol. rosac. solut.  
dr. ij.

Ut F. f. a. Ceratum, quod alutae justae  
magnitudinis inductum exhibe.

S. Emplastrum Pleuriticum, quod lateri dolenti su-  
perdetur.

\*  
Ceratum Adtrahens, Emmenagogum. Vide H.  
Boerh. Mat. Med. p. 214.

℞. Emplastr. Oxycroc.

de Melilot. ana q. f.

Cum Ol. Rutae. q. f. malaxando in con-  
sistentiam Cerati redacta extendantur  
super aluta lunata juxta exemplum trans-  
missum. D.

S. Pubi & Inguinibus adplicetur.

Ceratum Resolvens, ad Scirrhum Lienis.

℞. *Gumm. Ammoniac.*

*Galban. ana unc. β.*

Dissolvantur *Acet. Squillit. q. f. & cum*  
*Cerae citrin. unc. β.*

*Ol. infus. Absinth. q. f.*

Leni igne colliquata redigantur in Cera-  
tum, quod super aluta ovata, instar  
linguae bubulae, extensum D.

℞. *Ceratum Splenicum, Hypochondrio sinistro, in*  
*regione Splenis adplicandum.*

Emplastrum molle, Saponaceum, ad Tumores  
inveteratos. Fuller. Pharmac. Extemp. p. 94.

℞. *Sapon. commun.*

*Mell. ana unc. iβ.*

*Cerevis. fort. annos. lib. β.*

Coq. leni calore ad consistentiam Empla-  
stri mollioris. D. ad fictile.

℞. *Super linteo extensum imponatur parti adfectae,*  
*ac quotidie recentetur.*

Ceratum Pectorale ad Tussim.

℞. *Ol. Amygd. d.*

*Cerae Citrin. ana unc. j.*

Leni igne liquatis immitte

*Spermat. Cet. dr. ij.*

Liquefactis, ab igne remotis, sub continua agitatione intere

*Ol. Nucistae express.* dr. j.

*Still. Anisi.* gutt. iv.

Ut F. f. a. Ceratum super charta caerulea extendendum. D.

S. *Imponatur Pectori.*

*De*

*Unguento.*

431. **U**NGUENTUM est medicamentum externum, Cerato (425.) mollius, Mellis ferè aut Electarii (148.) consistentia, calore liquefcens, ex pinguibus maximè constans, quod externae corporis superficiei vel illitum, vel vehiculi interventu applicatum, vires medicatas exferit.

432. MATERIES in genere eadem hic est, qualis Emplastri vel Cerati (416. 426.).

433. DELECTUM quoque similes (417.) limitant conditiones. Scilicet

α. In Unguento exigitur (1.) Consistentia haud quidem diffuens, at sequax tamen, etiam in frigore, mollis axungiae velut aemula. (2.) Mollities lubrica, asperitatis expers. (3.) Homogenea ingredientium mixtio. Unde patet, quænam huc apta materies, quæ præparatio. Conf. (417. α. β.).

β. Oleum (416. α. 1.), Pingue (ibid. 2.), Terebinthina (ibid. 3.), Cera (ibid. 4.), horumve